

est; Nam in libro Genesis, capite vigesimo tertio, vers. nono, de ipso Abrahamo loquendo dicitur: *ut det mihi speluncam quam habet, in extrema parte agri sui pecunia digna tradat eam, & rursus, vers. decimo sexto, ibi: apponit pecuniam quam Ephon postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti, probata moneta publica.* Quæ notaveram in Emblemate Regiopolit. ad lectorem, numero decimo, quod scripsi in traduct. emblematum Domini Solorcano, typis data in principio tomi primi. Sed usus sigillorum introductus fuit cum hac differentia, quod destinata ad scripturas subsignandas nihil operantur absque solemnitatibus prænotatis. Ea verò quibus pecunia cuditur, absque alia solemnitate præbent monetæ auctoritatem, & valorem, ita ut æstimatio pendeat totaliter à sigillatione. Et sic qui cuneos falsò facit dat publicam formam, & auctoritatem, & auxilium præstat in ipso delicto cooperativè, per tractum successivum, quoties falsarius eam percudit, ob quod eadem poena tenetur. Ex Textu in leg. si pignore quinquagesima quarta, §. qui ferramenta, Digest. de furt. pluribus Farinacius dicta quæstione centesima trigesima, numero primo, tertio, & quadragesimo primo. Et causam præbet delicto quod est idem ac si fecisset, Textus, in leg. nihil interest. 15. Digest. ad leg. Cornelianam de scar. Bartolus in leg. is qui opem, numero quinto, Digest. de furt. pluribus Giurba consil. quadragesimo primo, numero duodecimo, Carpzovius dict. prima parte, capite trigesimo septimo, numero sexagesimo primo.

43 Quibus positis non obstant in contrarium adducta. Nam, ut dixi numero decimo, crimen falsæ monetæ de jure Codicis factum fuit crimen specie distinctum à ceteris falsitatibus, speciali poena coercendum, & conficiens cuneos ad excudendam monetam, falsæ monetæ criminis reus sit, cum non possint deservire ad alium usum, ut ex dictis patet. Neque ex eo quod imagines nostrorum Regum in nummis non apponantur, poena mitiganda est: quia licet aliquando Imperatores consuevisent suas imagines excudere in nummis, sæpius sua stigmata, sive rerum

gestarum symbola ponebant, ut tradunt Brisontius de formul. libro quarto, §. numis. & aliis relatis Hoping. cap. octavo, numero decimo quinto, quæ simul cum circumscriptione nominis auctoritatem præstant, ut probat Tibertius 44 Declanus dict. lib. septimo, cap. vigesimo tertio, num. vigesimo primo, & idem Hopingius docet dict. cap. octavo, numero quadragesimo secundo. Et sic Dominus Nolter Jesus Christus quando de tributo pendendo à Phariseis tentatus fuit, non solum interrogavit eos de imagine Cæsaris, sed etiam de inscriptione nominis. Sic scribit Sanctus Mathæus in Sacrosancto Evangelio, capite vigesimo secundo, vers. vigesimo, ibi: *cujus est imago hæc, & subscriptio?* idem dicitur à Sancto Marco capite duodecimo, vers. decimo sexto, ibi: *cujus est imago hæc & inscriptio?* & pariter à Divo Luca capite decimo, vers. vigesimo quarto, 45 ibi: *cujus habet imaginem & inscriptionem?* Sicque æqualiter hæc duo attendenda sunt; quia, ut dixi, sigillum absque inscriptione nihil operatur. Neque minus per stigmata auctoritatis impartitur, cum publicum signum sit, ut ait Imperator in leg. stigmata 3. Codice de fabricens. libro undecimo. Pluribus Hopingius de jure insign. capite decimo, Rub. ad annul. signator. numero 136. cum sequentibus, & de jur. sigil. capite octavo, numero quadragesimo secundo, quibus addendus Petrus Gregorius libro sexto, de repub. capite decimo sexto, numero primo, cum sequentibus. Ad libitum enim Principum nummos cudere jubentium hæc sunt, ut resultat ex nostris legibus. Nam Reges Catholici Ferdinandus, & Elisabeth in dict. leg. prima, titulo 21. libro quinto, recopil. suas imagines in aureis nummis insculpi mandarunt. Et Dominus Rex Philippus secundus in aureis ejusdem ponderis, & qualitatis sua stigmata apponi jussit, ut habetur in dict. leg. decima tertia, in declarat. ejus titul. & tandem Dominus 47 Philippus quartus, neque in aureis, neque in argenteis suam imaginem posuit, sed in æreis juxta pragmaticam anni 1660. Sed cum in omnibus apponatur circumscriptio nominis Regis, ex læsione cujuscumque monetæ, læsa remanet ejus majestas, quia adhuc inter privatos injuria fit ei, cui stigmata

mata usurpantur, vel contemnuntur argumento Textus in l. minime, Codice de Episcopalis. Aud. capite dilecta de excess. prelatorum, l. fadaos quosdam, Codice de Judais, Paril. consil. vigesimo nono, numero octavo, Matienço in lege sexta, glossa secunda numero tertio, libro quinto recopilat. optimè ad rem Antonius Gomez in lege quadragesima quinta, Tauri numero septuagesimo septimo, Augustinus Barbosa in dicto capite delicta, numero quarto, Avendaño de exegu. mand. parte prima, capite decimo nono, numero trigesimo secundo, Farinacius quæstione centesima quinquagesima, numero sexagesimo quinto, Hopingius dict. capite quarto, numero 154.

49 Et licet verum sit quod de isto reo non probabatur peccasse in falsa moneta quoad materiam, negari non poterat quod peccavit quoad formam, ita ut ratione ejus totum crimen ipse peccerit causativè: & nostris legibus, sicut de jure communi cujuscumque materia moneta falsa fiat, poena ignis debetur, ut probat Textus in dicta lege prima & secunda, Codice de fals. moneta cum aliis adductis controvers. præced. numero quarto, & in dict. lege. nona, titulo septimo, part. septima. Ubi Dominus Gregorius Lopez & ceteri Hispani Doctores clarissimè docent. Neque Doctrina Benedicti Carpzovii admitenda est, quia nullius Doctoris auctoritate fulcitur, sed statuario jure Saxonum tantum comprobatur. Et adhuc si bene perpendatis, loquitur in terminis Principis inferioris, qui non habet jura cudendi monetam, & cudit proprio nomine, ex materia legitima, & iusto pondere constantem.

50 Quod est valde diversum; nam loquimur de subdito Regis qui ejus stigmata, & nomen usurpat, pretio corruptus ut alius nummos argenteos ex materia adulterina faciat, quod crimen includit omnem materiam, & dolum habentem ad incurendam poenam ordinariam, ut ex dictis patet.

51 Ex his omnibus condemnandum poena mortis nemo ex iudicibus dubitabat; & plures ad poenam ignis. Sed cum minor esset decem & septem annis, poena extraordinaria ex concordi voto fuit plexus per ea quæ dixi controversia octava, numero vigesima.

D. D. Laur. Matth. De Re Crim. P. I.

simo primo, cum sequentibus, sententia ejusdem diei 2. Junii anni 1660.



CONTROVERSIA XLVI.

De expendente Monetam, adulterinam.

SUMMARIUM.

- 1 Falsi species narratur.
- 2 Expendens scienter falsam monetam, falsi poena tenetur.
- 3 Expendens monetam ære, & argento confectam, tamquam argenteam, falsum committit, & falso utitur.
- 4 Textus in leg. lege Cornelia 9. Paragraph. eadem lege, Digest. ad leg. Cornel. de fals. expenditur.
- 5 Bartoli opinio mitior, & communior, intelligenda de simplice expendente.
- 6 Quæ non procedit in expendente, conficio, & particeps falsitatis.
- 7 Concubine non possunt dicere coactæ fecisse ea, quæ à concubinariis ipsis jubentur.
- 8 Concubine non sunt in potestate concubinariorum, neque eis ullo jure subsumt.
- 9 Vxores à maritis in vitis discedere non possunt, neque eorum delicta obviare.
- 10 Concubine in vitis contubernialibus possunt ab eis discedere.
- 11 Voluntas, & propositum maleficia discernunt.
- 12 Bartoli opinio jure Digestorum probabilis, sed jure Codicis erronea.

- 13 *Textus in lege prima, Codicis de falsa moneta, expenditur.*
- 14 *Falsam monetam, expendens ad utilitatem rei principalis, eadem pena tenetur.*
- 15 *Opinio Bartoli in Hispania communiter recepta.*
- 16 *Verbis leg. sexagesimæ quartæ, titulo vigesimo primo, libro quinto, recopilat. inspectis, opinio Bartoli ea dispositione non iuratur.*
- 17 *Sed consuetudine interpretata reperitur, quoties expendens auctorem demonstrat.*
- 18 *Textus in lege septuagesima quarta styli, expenditur.*
- 19 *Expendentium pœna, iuxta factorum qualitates augetur, vel temperatur.*
- 20 *Decisio Aule in hac specie pœnam augendo.*
- 21 *Expendentes monetam, si auctorem ostenderit leviter puniuntur.*
- 22 *Expendens monetam falsam, si auctorem non ostenderit, tamquam reus puniendus est.*
- 23 *Emens monetam falsam, ut expendat, extra ordinem puniendus est.*
- 24 *Falsæ monete crimen non est fœmineum.*
- 25 *Auxilium præstitum post delictum, non eadem pœna, sed mitiori puniuntur.*
- 26 *Fœmina postquam viris prostituuntur, turpiter eis subjecta remanere solent.*
- 27 *Fœmina amissa pudicitia, quodcumque malum admittit.*
- 28 *Concubina jure civili attento, ab uxore solum distinguebatur di-*

- gnitatis gradu.
- 29 *Servi, famuli, & ceteri domestici, mitius puniuntur in criminalibus à domino mandatis.*
- 30 *Concubina ancillarum loco habentur.*
- 31 *Vxor domina vocatur, & tamen marito subjicitur.*

REi falsæ monete, de quibus egimus *controversia quadragesima quarta*, mulierculas secum contubernales habebant, quarum industria utebantur ad expendendos nummos adulterinos, & cum de hoc crimine convictæ, & confessæ remansissent, dubitatum fuit, qua pœna plecti deberent.

Et teneri pœna ordinaria probari videbatur ex *Textu in leg. lege Cornelie nona*, § eadem lege. *Digestis, ad l. Corneliam, de fals.* Nam licet plures tenuerint hunc Textum ad litteram intelligendum de vendente nummos stanneos, sive plumbeos, ut in verbis ejusdem habentur; tamen mente, & sensu perpenis, idem procedit in expendente quovis nummos alterius materiæ, quàm extrinsecus demonstrant: nam in hoc falsum verè committitur, quia adest mutatio veritatis, & præjudicium tertii, & quicumque ea falsitate scienter utitur, falsi pœnam incurrit. *Textus in lege majorem, Codicis de fals.* ubi communiter Doctores. Consulunt namque in eo Textu: de nummis stanneis, aut plumbeis expendens tanquam ex alio metallo confectis exempli gratia loquitur, & sic multo magis procedit dispositio in expendente majorinam monetam, ex ære nempe, & argento fusam, tamquam si argenti probati esset. Et sic tenuerunt *Salicetus in lege secunda, Codice de falsa moneta*, Joannes de Anania in capite ad falsariorum, *De crimine falsi*, Angelus tractatu de maleficiis verbo falsario, versus quæro an arifex. *Martilius in lege qui falsam, numero sexagesimo quarto, Digest. ad leg. Corne*

Corneliam de fals. & consil. quadragesimo septimo, numero undecimo, Dominus Covarruias de collat. veterum numismatum, capite octavo, numero quarto, ad finem, Tiberius Decianus libro septimo tractatus criminalis, capite vigesimo quinto, numero quinto, Petrus Gregorius libro trigesimo sexto, synagmat. capite secundo, numero trigesimo quarto, Christophorus Paz in lege septuagesima octava, styl. numero centesimo vigesimo septimo, cum sequentibus, Menochius de arbitrariis cas. trecentesimo decimo sexto, numero quinquagesimo primo, & quinquagesimo secundo, Farinacius questione centesima decima quinta, numero centesimo decimo quarto, cum sequentibus.

Et licet contrariam opinionem tueatur Bartolus in dicta lege *Cornelia 9. in principio* quam sequuntur *Angelus consil. centesimo vigesimo primo, numero tertio, libro septimo, Julius Clarus in d. falsum, numero trigesimo septimo, vers. expendens, Baiardus ibidem numero trecentesimo trigesimo octavo, Peguera decisio. quadragesima sexta, numero decimo quarto, Petrus Caballus casu centesimo nonagesimo nono, numero secundo, & sequentibus. Antonius Matthæus de crimin. libro quadragesimo octavo, Digest. titulo septimo, capite quarto, in fin. Carpovius parte prima, præf. crimin. questione quadragesima secunda, numero nonagesimo nono. Hi Doctores, & plures alii ab ipsis adducti loquuntur in terminis simplicis expendentis falsam monetam, scientes, eam falsam: sed non de expendente monetam falsam acceptam ab ipso falsario, quem non ignorat eam adulterasse, in cuius utilitatem ceteros decipit; ut conficius ac particeps sit ipsius criminis, & auxilium præstans conficienti, sic nummos adulterinos expendendo. Nam iste pœnam ordinariam incurrit tanquam particeps totius maleficii. Ut scitè distinguit *Farinacius dict. question. 115. numero 127. & ante eum Cumanus consil. 138. & column. secunda, vers. at verò, Menochius de arbitrariis cas. 316. numero nono, & recenter Don Franciscus Merlinus controversiar. parte secunda, capite vigesimo sexto, numero decimo sexto, & decimo septimo, Maltrill.**

de indulto, capite vigesimo septimo, numero vigesimo. Qui licet ferè semper benigniora sequatur, in hac specie clarissimè asserit, sibi hanc distinctionem placere, seclusis bannimentis, etiam si *Martilius* contrariam tenuerit. Cum autem mulierculæ, de quibus agimus, ab ipsis fabricatoribus recepissent monetam adulterinam, quam eudere videbant, & eam erogarent ad utilitatem eorum, participando lucrum, cum de fructu maleficii alerentur, eadem pœna puniendas non ineptè, neque iniquè, dicebatur.

Nec dici poterat, quod excusanda erant à pœna ordinaria, quia obediendo viris, quorum delicta obviare non poterant, coactè fecisse dicendum sit: ex generali regula, quod exequendo mandata illius cui aliquis subest, etiam in atrocioribus mitiori pœna dignus censetur. *Textus in lege servos 8. Codice de re public. & privat.* *Farinacius questione nonagesima septima, numero centesimo quinquagesimo primo, Antonius Gomez Variar. libro tertio, capite tertio, numero quadragesimo secundo, Petrus Plaça in epitom. delict. libro primo, capite decimo quinto, numero vigesimo quarto, Antonius Faber in Codice, libro nono, titulo decimo quinto, definitione tertia. Giurba consil. octogesimo quinto, numero decimo nono.* Nam hæc procedunt in uxoriibus, quæ vinculo matrimonii ligatæ, nequeunt à maritis discedere; & ob sexus fragilitatem, non possunt crimina eorum deviare, in quibus terminis loquuntur *Faber & Giurba.* Istæ enim erant concubinæ, non uxores; & licet ex imbecillitate sexus, & miseria status, timen obviare non possent, poterant tamen ab eis, vel invitis discedere *Textus in leg. prima in principio, Digest. de concubin.* & sic proprium crimen vitæ. Et dum dando operam rei illicitæ, voluntariè in concubinato permanserant, ex proposito deliquisse videbantur, ac per consequens teneri eadem pœna, ac si nummos cudissent: nam consentium ad omnia præstabant, crimen voluntariè participando. Quia voluntas, & propositum maleficiæ distinguunt, ut probat *Textus in lege qui injuria 53. in principio, Digest. de furt. lege prima, Pa-*

vragrapho, divus, Digest. ad leg. Corneliam de sicariis, lege prima, Codice eodem titulo, aliis relatis Giurba dicto consilio octogesimo quinto, numero decimo quarto.

- 11 Ex quibus, si mea sententia proferenda est, crediderim opinionem Battoli, & sequacium de jure Digestorum sustineri posse, tanquam mihiorem in re dubia, cum eo jure valde controversum sit an pena capitis imponi possit propter crimen falsi: Sed jure codicis attento, opinionem Domini Covarruvias, & Saliceti veriorum opinior; quia Imperator in lege secunda, Codice de falsa moneta, clarissime penam mortis imponit falsum in moneta committenti. Et cum in dict. leg. lege Cornelia nona, æqualiter de fabricante, ac de expendente dicatur, quod crimen falsi incurrunt, exacerbata per Imperatorem pena legis Corneliae, utrumque æqualiter comprehendisse teneo, ut in terminis tenent Paz in dict. leg. septuagesima octava, styl. numero centesimo decimo septimo. Quod confirmatur ex eo quod in lege prima, Codice de falsa moneta, hæc verba habentur: *Actore videlicet fundi, vel servis, vel incolis, vel colonis, qui ad hoc ministerium præbuerint, cum eo qui fecit, supplicio capitali plectendis.* Loquitur namque de fundo in quo falsa moneta cusa est: & in illis verbis omnes auxilium, opem, vel ministerium præstantes eadem pena plectendi jubentur cum principali delinquenti. Et hæc non potest intelligi de morte civili, ut aliqui Doctores opinantur. Nam quidquid sit in aliis criminibus, in falsa moneta Imperator clarissime penam exacerbavit usque ad ultimum supplicium per ignem imponendum conficiendi, ut probavi controversia quadragesima quarta, numero decimo, cum sequentibus, & dum jubet quod ministerium præstantes, cum eo qui fecit capitali pena plectantur, de eadem pena mortis per ignem intelligenda constitutio est.
- 15 Sed nihilominus, mitius puniendas probatar ex communiore sententia, de qua testantur Doctores adducti supra numero quinto. Quam Dominus Covarruvias testatur procedere de jure nostro, juxta pragmaticam Regum

Catholicorum, quæ hodie habetur in leg. sexagesima quarta, titulo vigesimo primo, libro quinto recopil. & eam amplectuntur omnes ferme Doctores Hispani, post Covarruviam, ut Villadiego in lege secunda, titulo sexto, libro septimo, for. judic. Pluribus Paz in dicta lege septuagesima octava, styl. numero centesimo decimo septimo. Vidacus Perez in lege vigesima tertia, titulo decimo nono, libro octavo, Ordin. in glossa, versic. secundo principaliter queri potest, Antonius Gomez in l. octogesima tertia Tauri, numero quinto, Don Joannes Vela de delict. prima parte, capite undecimo, numero decimo tertio, Azevedo in l. quinta, titulo decimo septimo, libro octavo recopil. numero quadragesimo quinto. Qui omnes asserunt per d. l. sexagesimam quartam, impositam fuisse penam exilii per quadriennium, & amissionis dimidiæ partis bonorum. Sed illius verbis inspectis, non loquitur lex de expendente, sed retinente, & accipiente: ibi mandamus que ningun cambiador, ni otra persona no reciba; ni tenga en su casa, ni en su cambio, ni en su tienda, ni en su trato moneda de plata ni de oro, ni de vellon con los cunos de sus nombrados, que no se labrada en qual quera de las dichas nuestras siete casas. Hic enim loquitur de recipiente, retinente, & in solutum dante, quibus prædictam penam imponit; sed antea mentionem fecerat de expendente doloso: *no havria falsadores de moneda, si no hallassen personas que se las recibiesen, y distribuyesen enganosamente.* Et cum huic per dictam legem pena statuta non sit, remanet in dispositione juris. At cum consuetudo, quæ est optima legum interpretes, in omnibus Hispaniæ Curis & tribunalibus, interpretata sit hunc Textum de expendente doloso, ab ea non est recedendum. Sed cum temperamento dicta legis septuagesima octava styl. hoc est, si ostenderit auctorem, à quo monetam adulterinam habuit: quia si non ostendit, præsumitur ipsum fecisse, ut omnes Doctores Hispani superius memorati docent, & quod arbitrium extendatur juxta factorum qualitates, ex generali regula quod pena delicto congruat.

Quibus

- 19 Quibus in praxi receptis, non obstant in contrarium adducta. Nam præterquam quod opinio Bartoli in praxi valuit tanquam benignior dict. leg. 64. dispositione juvatur in his Regnis, arbitrium adhibendo juxta qualitates aggravantes, vel diminuentes crimen. Ob quod in specie hujus controversiæ, quia mulierculæ de quibus agimus inhonestam vitam agebant in concubinato reorum, & licet crimine in principali non cooperassent, testes oculares malefici erant, & data opera nummos adulterinos expendebant ad utilitatem ipsorum delinquentium, juxta doctrinam Farinacii & Cumani ubi supra, arbitrium extensum fuit penam exacerbando usque ad fustigationem, & exilium per decennium, Sententiâ dicti diei 2. Junii 1660. Et juxta dispositionem dict. leg. 78. styl. in causa Joannis Baptista Crota, in cujus domo apprehensa per me fuit ingens quantitas monetæ aræ falsò fabricatæ, cum ille assereret recepisse à Petro Escudero Clerico, qui confessus fuit; ipse Crota liber à pena permansit, Clericus verò monstravit auctorem, quemdam incolam oppidi de Rute; cujus epistolæ remissorias exhibuit; & ille captus quæstioni suppositus fuit, & cum negasset extraordinaria pena fuit plexus per Aulam. Habetur etiam ratio quantitatis, juxta Textum in leg. aut facta, §. quantitas, Digest. de pen. ut observatum fuit in causa Petri de Oyarvide cujus Arcarius, quia monetam falsam arotam minori pretio emere solebat, eam expendendo pro integro valore, pena relegationis ad arcem Africæ fuit per supremum justitiæ Consilium condemnatus anno 1666. quod in terminis tradit Farinacius dicta questione 115. numero 130. sed merita hujus causæ non inspexi, licet reum ad carcerem ducere jussi, cum ingenti monetæ quantitate, mandata Consilii exequendo.
- 24 Neque ex doctrina Farinacii, & Cumani visum fuit penam extendi posse usque ad mortem; licet enim ex malitia & pravitate expansionis gravius plectenda essent, ut cum effectu fuerunt, non tamen pena acerbissima, quia crimen falsæ monetæ non femineum, sed virile est, ut probant Caballus dict. cas. 199. numero 24. & Giurba dict. cons. 85. numero 27. & sic excludatur potior ratio imponendæ hujusmodi penæ. Et Au-

xilium præstitum non fuit in ipso delicto, sed post delictum peractum, quod semper mitius punitur, ut pluribus probat Farinacius quæst. 32. num. 1. & segg. Giurba consil. 42. ex numero 1. Carpozov. parte 1. questione 17. numero 61. Neque obstat quod auctoritate præstans delicto postquam patratum est, non solum eadem pena, sed graviore teneatur secundum Gloss. in capite 1. verb. pari pena in fin. vers. in quarto casu; de offic. deleg. juxta Textum in capite qui aliorum 14. questione 3. & capite qui consentit 11. questione 3. Nam hæc procedunt in crimine hæresis, ut docet Farinacius dicta questione 132. numero 26. non verò in aliis.

Et quamquam mulierculæ istæ in ipsa fabricatione opem, vel auxilium præstitissent, mitius puniendæ erant: quia licet concubinæ nullo juris vinculo subdantur potestati concubinariorum, ex innata lege naturæ, feminae masculis subfunt, itaut in brutis similis subiectio appareat, ut pluribus probat Tiraquell. in leg. 1. connubiali, num. 9. Feminae namque, postquam prostituta sunt, viris turpius subiciuntur, quia pena divinitus eis imposita Genes. 3. vers. 16. ibi: *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi,* dum vitari ab ipsis intentatur nuptias detrectando, sævillimam servitutem incurunt, & ab Amaliis tyrannicè tractari solent, ut experientia quotidiana demonstrat. Vel quia feminae post concubitum ab honore naturali dejectæ, etiam si illustres sint, & vilioribus jungantur, ad omne nefas paratæ repetiuntur. Sic memorat Tacitus libro 4. annal. Liviam uxorem Drusi, Sejano per adulterium prostitutam fecisse, addens rationem ibi: *neque famina amissa pudicitia, alia abnuerit.* Vel quia dum ad complexus libidinis, corpora denudant, necessarium est, quod cum vestibus verecundiam exuant, ut ait Herodotus lib. 1. Musar. Demum quia concubina juxta juris civilis sanctiones, solum distinguitur ab uxore dignitatis gradu, Text. in leg. item legato 49. §. parvi 4. ff. de legat. 3. sic docent Petrus Gregorius libro 10. syntagm. cap. 1. num. 9. Langlois semestr. lib. 8. cap. 8. prope fin. Farinacius questione 138. numero 20. Cuiac. in leg. Massarius 144. ff. de verb. signif. Anton. Faber in jurispru. lib. 10. princip. 5. illat. 3. Carpoz. in pract. crimin. part. 2. quæst. 70. num. 40. in fin. Neque excusatio ob coactam voluntatem

luntatem solis uxoris circumferibitur, imò comprehendit, filios, famulos, servos & pupillos; ut docent Ant. Gomez, Farinacius, & alii laudati supra n. 7. Quare excusationem ex hoc capite merebantur à pœna ordinaria; nam concubina ancillis æquiparantur, ut colligitur ex sacra pagina, & probatur in cap. non omnis 12. 32. quest. 2. c. dicat aliquis 9. ead. caus. quest. 4. & sic docent Covarruvias de sponsal. 1. part. c. 4. n. 8. Menoch. de arbitrar. cas. 418. n. 14. Petr. Gregor. d. lib. 10. cap. 1. n. 7. Azevedo in l. 1. tit. 19. lib. 8. recop. n. 10. si enim uxor quæ dicitur Domina, ut latè probat Revard. lib. 4. varior. cap. 16. viro subest, & coactè fecisse præsumitur, quæ ab eo mandantur; quanto magis concubina, quæ loco ancillæ habetur, & sævissimè tractari solet? Et licet jure discedere possit, non tamen facilè audeat ipsam sævitiam timendo, præcipuè quando conscia criminis enormissimè vereri poterat, quod vitam ademisset eo ipso quo præsenferit posse mediante discessu maleficium publicari. Sic Aula in sententia de qua supra memoriam feci.



CONTROVERSIA XLVII.

De abradente, sive tondente aureos nummos.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur.
- 2 Tondens nummos aureos pœna mortis puniebatur jure digestorum.
- 3 Rodere, abraderè, circumcidere, & tondere aureos idem est.
- 4 Eadem pœna jure Codicis inflicta.
- 5 De jure Hispano antiquiori pœna hujus criminis arbitraria fuit Regi, non judici.
- 6 Sed novioribus legibus, pœna capitalis imposta est.
- 7 Regia cura in eo versari debet, ne quid fraudis in moneta materia, forma, ponderè, reperiatur.
- 8 Pœna mortis tondenti irroganda, non est ignis.
- 9 Tondens monetam cujuscumque metalli lege Hispana pœnam mortis incurrit.
- 10 Tondenti monetam crimen, comprehenditur sub crimine falsa moneta.
- 11 Falsa moneta crimen est difficultis probationis.

- 12 Et sic leviores probationes sufficiunt ad torquendum & condemnandum.
- 13 Falsum præsumitur falsum ab eo in cujus utilitatem cedit.
- 14 Instrumenta falsandæ monete faciunt indicium contra Dominum domus.
- 15 Moneta adulterina reperta, præsumitur facta à Domino domus, si autorem non indicat.
- 16 Retentio monete adulterina punitur.
- 17 Latitatio bonorum, indicium est criminis ob quod pœna confiscationis debetur.
- 18 Bonorum obsecratio, sive descriptio fieri debet in domo rei.
- 19 Latitatio persona per fugam, indicium est.
- 20 Fuga famuli dolum comprobat.
- 21 Mercator famulum exhibere tenetur.
- 22 Natio infamata de aliquo genere criminis, ab ejus naturalibus factum esse suadet.
- 23 Galli proclives maximopere sunt ad crimen tondendi monetam.
- 24 Facti series probationem producit.
- 25 Aliud est crimen tondendi monetam, & aliud ronsa usus.
- 26 Usus moneta ronsa non est punibilis, nisi probetur scientia.
- 27 Crimina famulorum non afficiunt dominos, nisi probetur mandatum.
- 28 In criminalibus requiruntur probationes concludentes per necesse.
- 29 Utilitas non cedit domino, si famulus solvat ejus nomine monetam defectuosam nisi probetur specificè eam tradidisse, vel mandasse.
- 30 Follis non est instrumentum abradendi monetam, sed fundendi.
- 31 Moneta abraditur forficula, vel aqua chrysulca, non igne folli insuflato.
- 32 Perquisitio domus non inventis instrumentis, innocentiam comprobat.
- 33 Moneta incisa non est moneta, quia forma caret.
- 34 Nummus incisus in Arca, incisus Arcarium, non verò dominum.
- 35 Idemitas pecunie ronsa probanda est evidenter, ut de delicto constet.
- 36 Latitatio bonorum post delictum arguit dolum, sed ante delictum ex alia causa necessaria minimè.
- 37 Fuga unius, non potest tertio præjudicium facere.
- 38 Exhibere familiam publicanus non tenetur ad iudicium criminale, sed ad civile.
- 39 Nationis infamata indicium remotissimum est.

- 40 Et eliditur per bonam famam in specie probatam.
- 41 Facti series non probat dum claudicat in probatione cujuscumque extremi.
- 42 Idemitas nummarum improbabilis, nisi tradantur in sacculo obsecrato.
- 43 Delicta difficultis probationis, exigunt probationem in genere suo.
- 44 Decisio Aula, & num. 45. & 46.
- 45 Reperentes monete, eadem pœna tenentur, & num. seqq.



ESAR Dugas natione Gallus, qui mercaturam exercebat in hac urbe, solvere tenebatur virtute cujusdam litteræ Cambii, Francisco Centani, Regio disculori, quingentos solidos aureos, quos mediante Amanuense Arcarii, ei misit. Aurifex centum ex eis, ut asserbatur, recepit in viginti nummis unciariis (doblones de à ochi dicere solemus) sed propria peritia instructus, de ipsorum pondere dubitare cepit, & adhibita itatera, eos defectuosos invenit, ita ut in uno quoque quarta pars, vel fermè, deficeret. De his conquestus, quando jam Centani quadringentos in solutum dederat. Martino de Lyssa, qui pariter eos statim solverat, cum aliis ducentis Don Didaco Ignatio de Cordoia, inquisitionem suscepi, dum alius ex collegis ad perquirendam domum Cæsaris properavit. Duorum contestium dictis probaveram traditiones prælibatas, & aureos remissos ad Didacum apprehendi in sacculo linteo inscripto nomine dicti Martini remittentis. Et ex sexcentis aureis in eo repertis, periti quos adhibui, invenerunt quadringentos defectuosos, sicut centum ab Aurifex defectos. Collega verò domum Cæsaris vacuam mercibus, & pecunia invenit, sed in ea follem ex his quæ in officinis fabricorum deservire solent, & in Arca nummularia aureum unciarium, incisum, & defectuosum in pondere, sicut alii erant, absque eo quod Arcarius, & Amanuensis sui copiam fecerint. Dubitabatur quæ pœna Cæsar plectendus esset.

Jure digestorum inspecto, videbatur pœnam tondentibus auroreum nummorum impostam fuisse ultimi supplicii per Textum in lege quicumque 8. ff. ad egegn Corneliam, de fals. ibi: quicumque

nummos aureos parim raserint. Radere namque nummos, idem est ac rodere abraderè, tondere, vel circumcidere, ut ponderis minuantur quantitate. Sic probat Imperator in leg. 2. Cod. Theodos. de ponderator. ibi: emoria venditorique solidorum quos excidunt, aut diminunt, aut (ut proprio verbo utar cupiditatis) abradunt. Paulus libro 1. sentent. titulo 24. §. 1. Accursus & Dionys. Gothofredus in dict. leg. quicumque, Jacobus Cujacius in dicto §. 1. Pauli. Antonius Matthæus de crimin. lib. 48. ff. titulo 7. cap. 4. numero 1. Tiber. Decian. libro 7. capite 23. numero 25. & post alios plures Jacob Gothofred. in dicta lege 2. & in leg. unic. Cod. Theodos. si quis solid. circuli. extier. vers. secunda sententia. Quos reos Parachactas, sive Parachaximos dici habetur in lege falsa 9. eodem. Cod. de falsa moneta. Quo idem Jacob Gothofred. mirabilem locum Cassiodori hæc explicantis adducit. Hi enim pœna mortis plectebantur ex dict. leg. quicumque, ut notavi controvers. 44. numero 10. cum sequentibus. Et de jure Codicis, eadem pœna clariùs imposita reperitur in leg. final. Cod. de veter. numis. post. lib. 11. dict. leg. unic. Cod. Theodos. Et sic docent Clarus in §. falsum, num. 37. vers. radeas, ubi Baiard. numero 314. Tiber. Decianus dict. capite 21. numero 25. & capite 28. num. 7. pluribus Farinacius questione 115. numero 99. cum sequentibus, Menoch. de arbitrar. cas. 316. numero 34. Caballus cas. 191. numero 1. cum sequentibus, Antonius Matthæus dict. capite 4. numero 1. Carpov. in pract. crim. part. 1. quest. 43. numero 31. Et uterque Gothofred. Dionys. in dict. leg. quicumque, & Jacob. in dict. leg. unic. vers. secunda sententia. Et licet aliqui arument, sub hac dispositione tantummodo comprehendi aureos nummos, Menoch. & Caballus ubi proxime, docent & argenteos & aureos comprehendi, quibus adhæreo.

In nostro jure Hispano quamquam per legem 9. titulo 7. part. 7. pœna Regi arbitraria (non judici, ut Dominus Gregorius notat) imposita fuisset, hodie per legem 67. titulo 21. libro 5. recop. pœna mortis imposita est, cum publicatione bonorum. Sic docent Covarruvias de veter. numism. collat. cap. 8. num. 5. Dominus Gregor. Lopez in dict. leg. 9. Glos. 4. Antonius Gomez in leg. 83. Tauri, num. 5. Don Joan. Vela de delict. part. 1. cap.